



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulvm XII. Si verò.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Si verò.

PARAPHRASIS.


Contententibus duobus de jure Patronatûs, nihilominus Episcopus post tempus legitimum finitum, Ecclesiam ordinare, seu Clericum instituere potest, ita ut is postea eum, qui jus Patronatûs in judicio evicerit, tanquam Patronum agnoscat.

SUMMARIUM.

1. *Potest Episcopus post tempus à jure definitum vacanti Ecclesie providere, si lis mota super jure Patronatûs finita nondum sit.*
2. *Debet tamen Clericus sine presentatione institutus postea eum recognoscere Patronum, qui judicialiter talis declaratus est.*

Notandum primum. Si lis mota sit super jure Patronatûs, Episcopus interim ordinationem Ecclesie, seu ministri institutionem differre debet, sed non ultra tempus definitum à jure, videlicet 4. menses in Patronatu Laico, 6. in Ecclesiastico, sicut suprâ dictum fuit. Ratio est, quia Ecclesie & beneficia Ecclesiastica diu vacare non debent.

Notandum secundum. Clericus sine presentatione institutus, Patronum postea judicialiter pronuntiatum agnoscere & profiteri debet, ita ut tali agnitione constituatur in quasi possessione juris Patronatûs. Sic videtur notâsse *Glossa finalis hic*, & idem notat *Covarruv. in pract. quest. c. 14. n. 2. v. 3.* & alij, quos refert *Barb. in c. quarelam n. 10. de electione*, quòd in juribus spiritualibus unicus actus sufficit, ad acquirendam possessionem, v. g. una presentatio, vel una agnitio Clerici instituti.



rantia laborare, cum notum sit, quòd error juris, præsertim ad eò manifesti, in usucapionibus prodesse non possit, licet facti ignorantia profit *L. juris 4. ff. de juris & facti ignorantia*, & docui in *c. dudum 31. de decimis*. Respondetur cum *Glossa Innocentio, & And. Abbate*, & alijs hic: duobus modis fieri posse, ut in casu isto usucapio peticiatur, & Ecclesie secundum proprietatem acquirantur: primò si error non in jure, sed in factò consistat, quia Religiosi vel Clerici probabiliter existimârunt, Prælatum Ecclesiasticum consensisse, seu ex auctoritate & commissione ejus (si v. g. in instrumento donationis à Laico Domino confecto, & dato mentio hujusce fiat) concessionem, & donationem fuisse factam, etenim justus, & probabilis error, sive existimatio titulum intervenisse, ubi nullus intervenit, causam usucapiendi præbet, uti constat ex *L. 2. & L. quod vulgo 11. ff. pro emptore, junctâ Gloss. & tradunt Bart. & DD. in L. Celsus n. 1. & 4. ff. de usucapionibus*. Secundò. Quia licet primi, qui à Laico Domino sine auctoritate Episcopi acceperunt Ecclesiam, cum in mala fide fuerint, usucapionem inchoare nequiverint, tamen successores eorum probabili ignorantia laborantes, rati videlicet, consensum Episcopi intervenisse, usucapere possunt, cum non in jure, sed in factò errent. Similia leges in *Gloss. c. 4. verbo se posse, de prescript. & docui l. c. tr. 4. c. 3. n. 4. & in c. ult. prope finem de prescript.*

3. Notandum tertium. Concessionem Ecclesie factam à Laico Episcopus postea suo consensu, & auctoritate approbare potest, ita ut ex eo tempore de jure consistat *c. suggestum 20. hoc tit. Dixi ex eo tempore*, cum enim ad præteritum non sit potentia, impossibile est, Episcopum concessionem illam, quæ penitus irrita fuit, ita ratam habere, ut ab initio valuerit juxta juris regulam *18. in c. & reg. ff. 29.* quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convallescere, & notavit *his*

Abbas n. 7.